



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

I. De Baptismo Calvinistarum, quem ad salutem necessarium non esse
ajunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

- II. Calvinista Pelagianorum & Manichaorum errores renouant.
 III. Errant in eo, quod laicos in casu necessitatis baptismum administrare posse negant.
 IV. Nulli in eo utantur ceremonijs.
 V. De ceremonijs antiquitas in baptismi administratione adhiberi solita.
 VI. De Patris & Matris, ut vocant, & nominum impositione.

I. Inviolabilis apud illos lex fuit longo tempore obseruata, ne quis nisi in concione baptizaretur, quamuis aeger & in mortis discrimine esset infans constitutus. *Quum enim, inquit, Baptismus sit solennis in Ecclesiam receptio, ut in facie totius congregationis fiat, necesse est.* Estque hic primus articulus Constitutionum Geneuensium, titulo de Sacramentis, quas illi legestant in honore habent, quanto vel Augustanam Confessionem Protestantes, vel Catholici Euangelium. Moris autem istius, de quo ago, hæc est causa, quod opinantur, salutem non pendere à gratia Baptismi. Quum enim hæc sit diuinitus pronuntiata sententia, Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluabitur, & qui non fuerit regeneratus per aquam & spiritum sanctum, non poterit videre regnum Dei: isti nihilominus, posse eos sine Baptismo saluari, perfricta fronte asseuerant, non plus tribuentes Baptismo, quam vel Iudæi Purificationibus suis, vel Iotionibus suis Turcæ adseribunt. Quæ quidem in re multis modis sibi ipsis contradicunt, dum modo affirmant, naturam nostram totam corruptam esse, ortam ex infecta progenie Adam: & mox ramentum asserunt, infantes inde ab utero matris sanctificatos esse, & consequenter Baptismum non esse ad salutem necessarium. Beza docet, inesse infantibus fidelium semen & germen fidei antequam baptizentur, quippe sanctificatis à Domino ab utero matris. Estque illi Baptismus nota, qua Christianorum infantes à Turcæarum prole discernantur, quemadmodum toga, & penula Romanos à Græcis distinguebat. Ab hoc initio profectæ sunt hæreses Balthazaris Pacimontrani, Memnonis Frisij, Budnæi discipuli Seruetti, aliarumque pestium Poloniæ, Transsylvaniæ, Frisicæ. Quorsum Baptismus scribit in 3. Cap. Matthæi Bucerus, quum & sine eo infantes prædestinati saluenter, & qui prædestinati non sunt, ad infernum etiam Baptizati de-

scendant. *Latro ille, inquit, morte fuit ciuis Cæli, sine Baptismo?* Discant autem ex Magistris scholæ Christianæ, tria esse genera Baptismi, primum in aqua, secundum in sanguine per Martyrium, & tertium in lachrymis per penitentiam, adeo ut in causa necessitatis, ubi non est copia Baptismi aquæ, martyrium, aut vera penitentia, coniuncta cum ardenti desiderio Baptismi, sufficiant ad salutem: at ubi nec necessitas est, nec martyrium, nec penitentia, nec ardens aquæ desiderium, peccati originalis non datur remissio. Itaque hoc fuit à Caluino sanctum, necessarium esse, ut infans in concione baptizetur. Vnde efficitur per easdem Leges Geneuensium, quibus tenentur per Galliam Calvinistæ, ut parentibus oblatis infantes suos Baptismo, quem sine concione recipere non possunt, expectandum sit, dum vacet Dominis Ministris: quæ quidem ratio, si vel à meridie, vel noctu in lucem edatur infans, nec possit in diem sequentem usque vitam producere, ut in concione baptizetur, carendum est illi Baptismo. Quam legem magis etiam adstrinxit Musculus Bernensis Superintendens, vetans, ne quis Ministrorum baptizaret, nisi solo die Dominico. Vnde quum Minister quidam Samuel Huberus infantem iam iam moriturum rogatu parentum noctu baptizasset, Musculus rem detulit ad Senatorem, quod non esset dies Dominicus. Huberus constituto sibi die, accusatus hæresis & rebellionis, purgat sese, allegans, fuisse puerulum constitutum in periculo mortis, nec mortis corporis solum, sed animæ etiam. Replicatur, Baptismi priuatione non priuari hominem visione Dei. Huberus autem pleno Senatu restatur, hæreticam esse hanc Musculi Propositionem, affirmantis posse saluari infantes nondum baptizatos. Super ea lite adeunt Beza iam senem (fuit enim hoc Anno MDXC.V.) vnâ cum Ministris Basiliensibus & Tigurinis. Re disceptata, damnatur factum Huberi, ipse à ministerio remouetur. Auctor est Rescius in Atheismis Sacramenti Penitentia.

II. Sed ut in Galliam nostram reuertamur, quamuis Ministri quidam paulò religiosioris legem istam de non nisi in concione baptizando voluerint infringere, ad euitandum incommodum, ne misera & innocens creatura è vita excedat priuata hoc sacramento: nostro tamè tempore decretum